

Pont. Commissio Decretis Concilii Vat. II interpretandis
ACTA COMMISSIONUM

793

**PONTIFICIA COMMISSIO
DECRETIS CONCILII VATICANI II
INTERPRETANDIS**

Responsum ad propositum dubium

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, proposito in plenario coetu quod sequitur dubio, respondendum esse censuerunt ut infra:

D. – Utrum praeter Episcopos alii quoque, presbyteri, religiosi et laici, Conferentiam Episcopalem participare possint.

R. – Cum Conferentiae Episcopales sint coetus Episcoporum, eadem ex Episcopis et viris ecclesiasticis in iure ipsis aequiparatis tantum constant, iuxta praescriptum Decreti de pastorali episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 38, 2: alii vero, presbyteri, religiosi et laici invitari possunt a Conferentia Episcopali, ad normam statutorum, singulis tamen in rebus et causis et cum voto consultivo tantum.

SS.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 31 Octobris 1970 infrascripto impertita supradictam decisionem ratam habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, *Praeses*